

immensi. Marcus enim Vipsanius Agrippa summa cura perfecit quae forte deessent, addidit alias vias suis maxime auspiciis septentrionem versus per Galliam, Hispaniam tandemque et ad Danubii fluenta exstructas, et omnibus denique in magnum corpus collectis absolvit Itinerarium universale per universas amplissimi imperii provincias, quod a nullo alio tam felici successu absolvi poterat. Ardor enim huic viro praestantissimo innatus nullis difficultatibus unquam est deterritus, quin viis ipsis inspectis mutaret mutanda, novas ipse exstrui curaret; quae si alii cuiquam viro animi munera contingissent, non tamen is efficere umquam potuisset, quae Agrippa executus est; ejus enim incoepitis nullus per provincias magistratus sese difficilem praebere umquam ausus est, ut id fieri assolet cuivis alii eadem qua ipse potestate haud munito.

Vias quidem a Lugduno per omnes Gallias stravisse Agrippam e Strabone (L. IV. p. 318 ed. Almelov.) scimus; his addidisse quae mensores notaverant, omnibusque in continuum ordinem redactis in sua porticu populo inspiciendam proposuisse Pictum Orbem testatur Plinius III. 2. Idem de Agrippae viarum mensuratione per Hispanias locutus pergit: „Agrippam quidem in tanta viri diligentia, praeterque in hoc opere cura, cum Orbem Terrarum Vrbi spectandum propositurus esset, errasse quis credat, et cum eo divum Augustum? Is namque complexam cum porticum ex destinacione et commentariis M. Agrippae a sorore ejus inchoatam perfecit.“ Augustus igitur proposuit populo ex Agrippae commentariis desumpta.

Ex iisdem commentariis originem esse ducendam et Tabulae Peutingerianae et Itinerarii Antonini certis rationibns mihi persuasum habeo. De mensura enim alia per universum Orbem sequentibus saeculis denuo suscepta, nulla scriptorum ne exigua quidem mentio. Opus immensum fuisse, ut fuisse sub Augusto vidimus; insuper labor inutilis; Agrippae enim cura summa intentione collectis atque ordinatis praestantius quidquam proferri posse, id quidem vix ac ne vix quidem sperari potuit. Permanente igitur Agrippae delineatione, operi posthaec inserebantur novae in dies exstructae viae, aliae quarum usum posterior aetas neglexerat, omittebantur, emendabantur, quae usus quotidianus repererat vitiosa. Necessarias ejusmodi emendationes primo jam exaratae Tabulae tempore fuisse idem Plinius III. 2 indicat: „Quae causa magnos errores computatione mensurae saepius parit, alibi mutato „provinciarum modo, alibi itinerum auctis vel diminutis passibus.“

Nec tamen Orbis Pictus ex Agrippae commentariis in muros porticus translatus cuncta minutiaria exhibuisse credendus, eorum enim cognitionem Augustus ejusque successores sibi reservabant, ad publica negotia ordinanda; et quem usum populi quotidianus confluxus ex immenso cepisset vicorum numero, quorum ne nomina quidem unquam auribus acceperat? Montes, maiores fluvii, maria, Oceanus omnia cingens, coloribus depingebantur, cum urbibus notatu dignis, additis distantiarum numeris. Quae cuncta oculis imperii magnitudinem mirantium, coloribus congruis exornata, eodem putem, quem in Peutingeriana conspicimus Tabula, ordine collocata fuisse; ita scilicet, ut geographicae regionum formae atque extensionis ratione minus habita distantia locorum viarumque directio tan-